

475

473

479

469

484

464

424

374

Ende

Anfang

460

Credo profecto, quod in his sanctissimis locis inimicus magis tentet et insidietur incautis. Coelum empyreum, locus omnium locorum sublimissimus, non juvit luciferum, paradisus nobilissimus non primos parentes custodivit, coenaculum, locus sanctissimus, Thomam ab infidelitate non servavit. Ideo scribitur in Can. XL.: non loca aut ordines creatori nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona conjungunt, aut mala distinguunt. Cum enim domini peregrini cum tribus regibus munera sua ad locum nativitatis offerrent, aliqui aurum, aliqui argentum, aliqui annulos aureos, aliqui ceram, accessit quidam miles et ducatum supra lapidem projecit, sicut ante eum plures fecerunt. Hunc militem sequebatur quidam peregrinus orientalis, procidens ad loci deosculationem, in ipsa autem deosculatione caute sacrilega manu extensa duos propinquiores sibi ducatos subtraxit, et surgens abiit et se in peregrinorum agmen ingessit. O furem et latronem mille patibulis suspendendum! O raptorem in mille frusta discerpendum et rotis igneis intexendum! O sacrilegum ignibus usque ad cineres concremandum! O spoliatorem capite privandum, et in profundum maris immergendum! Quanta impietas! quanta crudelitas te agitavit! quanta infidelitas te excoecavit! ut in loco tam sanctissimo, ubi Christianus mentalibus oculis videt pauperculam Virginem, egentem infantulum, Joseph sollicitantem, pro utrisque furtum committeres. Porro, si tu haec non credis nec cernis, cur te in loco prosternis? Cur crucis signum geris? Et qua temeritate huc accedere praesumis? Si autem credis, et puerum ob sui assumtam infantiam non timuisti spoliare, quare non dulcissimae matris reveritus es oculos, quae pueru assidet, et diligentissime intuetur ea, quae circa infantulum suum aguntur? An ideo putandi sunt non videre, quia vident tanto patientius quanto sapientius? Et si nec puerum nec matrem curasti propter eorum immensam benignitatem, qua non statim procedunt ad peccati punitionem, sed longanimitate exspectant, debueras certe timuisse ipsum maturum et seriosum virum Joseph, (176 A) cui amborum cura incumbit, qui utrosque sine oculorum aversione respicit? Porro, si haec tibi videntur vana, et nec puerum, nec matrem, nec Joseph adesse dixeris, cur te non retraxit a sacrilegio dulcissimus odor de loco

